Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1665) Lucq 1365

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 2. Decembris.

M. PETRO CRESSE', Doctore Medico, Præſide.

An ſola rerum ſenſibus ſubjectarum æſtimatio utilis Medicinæ?

TRIPLEX præcipuè Medico incumbit munus quo defungatur, in iis poſitum, ut morbos agnoſcat, eventus eorum proſpiciat, curandis iiſdem apta auxilia adhibeat; harum rerum nullibi conjectura locum non repperit; fefellit interdum colicus dolor nephriticum ſubdolè imitatus; ægroti corpore vita ſeclusa eſt, de quo ſecurus Medicus primò fuit; quæ causâ opitulandi reperta ſunt, nonnunquam in pejus aliquid converterunt. Artem nè tamen protinùs damnes quæ in milleſimo corpore aliquando vix decipiens apud ægros innumerabiles plerumque reſpondet; Cave etiam, niſi majori in delicto, nè nimis graviter crucies artificem, quem ſemper agere ad præſcriptum in tantâ corporum varietate humana imbecillitas non permittit. Illi non uno ſolum loco inſidiæ poſitæ ſunt, labi imprimis paratiſſimo, ſi altum urgere cauſiſque in obſcuro poſitis addicere ſeſe conſilium capiat, ſuum contrà quàm fœliciſſimè munus quodlibet obiturо, ſi contemptis iis proculque rejectis, littori obnoxius ſolas ſenſibus obvias perſequatur.

UT ut ſub mundi incunabula primulùm naſcentes placido nos ac beneficо lumine natura vidit, commodis certè quamplurimis careremus, moleſtiiſque premeremur graviſſimis, niſi ita comparaſſemus noſmetipſos, ut per innumeras quas invenimus artes diſciplinaſque illis frueremur, has à nobis longiùs amandaremus. Næ pleriſque ex iis ſit aut vanis aut etiam nocentibus, niti dubiis inanibuſque fundamentis, aliter ſe apud medicinam res habeat, quæ cum tantò cæteris ſit utilior, quantò vita & ſanitas omni alteri commoditati antecellunt, tantò etiam magis, qui eam profitetur, accurare debet ad ea ut ſe convertat, quæ ſenſibus expoſita exploratáque quàm minimum quid facto ſit opus ſunt relictura ambigendi locum: ut primi ejus inventores nuſquam ſatis laudandi non ſint, qui evidentium cauſarum munera minimè tranſilientes, nec ad ullam hypotheſin phyſicam advertentes, hunc tamen ſplendorem ei famamque concinnaverunt, ut nequidem adoleverat, cum digna exiſtimata eſt, quæ Deo accepta referretur.

ET certè qui omnium primi ſalutis humanæ præſidem artem quæſiverunt, non rerum naturam, non latentes earum cauſas, de quibus neque inter ſapientiæ profeſſores, neque inter Medicos ipſos conveniri hactenus potuit, labore inani ſcrutati ſunt: orbe tunc adhuc recenti, nulla eos hujuſmodi ſollicitudo occupabat: memoriæ tamen proditum eſt, cùm ſanos, tùm ægros alendi rationem, quæ non ultimo Medicinæ loco jacet, repperiſſe commodiſſimam, nihil quidquam an in ventre cibus tereretur, an putreſceret, an concoqueretur, an qualis aſſumptus eſt in omne corpus deduceretur, ſollicitos, uni τῷ ἀναγκαίῳ, ſeu rerum ſenſibus ſubjectarum conſiderationi attentos. Hinc nempe profectum eſt, quod panem crudi tritici loco rectè valentibus obtulerint, hinc quod apud ægros de ſolidiori primùm alimento quidpiam deduxerint, mox ad ſorbitiones, ad ipſa demum potulenta deſcenderint, materiamque ut uſus oſtenderat aut debiliorem aut fortiorem pro morbi aut gravitate aut mollitie, naturæ vel imbecillitate vel robore uſurparint, à quo etiam fonte, nullâ adhuc de cauſis in obſcuro poſitis quæſtione inſtitutâ, ſanguinem venis educendi, ſordes alvo infimâ detergendi conſilium milleque alia adverſæ valetudinis auxilia deinceps profluxerunt.

CASTAM dum puris hiſcè manibus tractata eſt, illibatamque Medicinam, (pace eorum dixerim) nonnulli corruperunt, qui vanis eam de rerum naturâ certè incomprehenſibili, quas finxere ſpeciebus, velut ægri ſomniis ſubmittere attentaverunt. Alias ab aliis philoſophorum ſectis propoſitas hypotheſes percurrere, ac quid quæque habeat vitii oſtendere longum eſſet; vel vulgatiſſima quâ morbi ferè cujuſvis natura in exceſſu defectuve caloris frigoris humiditatis aut ſiccitatis poſita eſſe exiſtimatur, non paucis iiſque gravibus eſt reprehenſionibus obnoxia; quarum nempe facultatum apud nos eſt potentia tam levis, ut moleſtiam procreare ullam neſciant, niſi mitiſſimam & unius naturæ conatu vel modeſtiſſimo abſtergendam. Rem nemo non cognoſcet, qui ut apud ſanos ægroſque illæ ſeſe habeant ad animum ſuum retulerit. Sani, ſi aut hyeme ſub dio poſiti juſto frigidiores, aut æſtate graviùs exagitati calidiores evaſerint, causâ cur ſic affecti ſint ſemotâ, nullo negotio brevique interpoſitâ morâ priſtinæ conſtitutioni redduntur; ægri rigore per febres intermittentes correpti ſuâpte ſponte recaleſcunt & deinceps ex calidiſſimis ſolâ naturâ accurante in algidos commutantur. Nihil autem ad rem pertinet apud febres ardentes, peripneumonias, alioſque contumaces hujuſmodi morbos, tam lento gradu frigus incedere, aut ne ſe quidem ullatenus ut calorem oppugnet arcemque cordis recipiat, oſtendere; Imò hinc maximè ſcire licet, eos calori minime eſſe tribuendos, qui ſi hunc haberent authorem, quàm loco cedere in eo promptum eſt, tam nullâ omninò illi operâ nulloque artis ſubſidio diſſiparentur. Nec verò propoſitæ ab ingenioſis ſæculi noſtri Medicis hypotheſi magis auſcultandum, qua dupli ci ſalium rationi acidorum nempe & alkalium, natæque ex eorum mixturâ fermentationi tum morborum tum earum, quæ remediis continentur facultatum, acceptas cauſas omnes referendas eſſe exiſtimant; nequidem ex eâ, commoditatis quidquam eſt unquam, ſi ad medicinam referatur emerſurum, quæ phyſicas reconditioreſque hujuſmodi cauſas ſemper aſpernata, ut ſuam evidentium contemplationi debet originem, ſic ab eadem temporum lapſu omnimodam eſt integritatem procul dubiò conſequutura.

LONGE itaque optimè de arte noſtra meritus, feciſſeque egregiè cenſeri debet vir & arte & facundiâ inſignis Hippocrates, qui eam, ut decus antiquum rurſus reciperet, illudque ſervaret impoſterùm, abs ſtudiò ſapientiæ, cum quâ paulò jam arctiori familiaritatis vinculo conjunctam invenerat, ſeparavit, & ſeu morbos dignoſcere, ſeu eorum eventus proſpicere, ſeu de remediorum viribus judicium ferre, eaque adhibere corporibus ageretur, ad rerum ſenſibus ſubjectarum, in quâ unâ priùs ſe illa oblectabat, conſiderationem revocavit. Non tamen quemadmodum à Medicinâ, ſic à Medici etiam cogitatione naturæ indagationem rejiciendam exiſtimamus, quæ quamvis ad artem propriè non pertinet, eam non mediocriter juvat, artificis ingenium excitando, & licet Medicum non facit, aptiorem tamen Medicinæ reddit atque perfectum. Rebus igitur Phyſicis intereſſe eam permittimus, munditiarum modò ſimplicitatem ſervet, nec furtivis adulterata coloribus ſuperbiat, ſatis cùm ad verum ventum erit habitura, ſi ſtudioſa τηρήσῃ, ἐνδείξῃ non negligens, morbum inquirat, fatigatio an vigilia fecerit, an cibi vinique abundantia, an intemperantia libidinis, tum quæ ægri natura ſit, humidum magis, an magis ſiccum corpus ejus ſit, frequens adverſa valetudo, an rara? Quod is vitæ genus ſit ſecutus, laborioſum an quietum? Cum luxu an cum frugalitate? Pulſum examinet, urinas, dejectiones, ſputa; quam quodque remedii genus facultatem obtinere uſus oſtenderit, animadvertat, milleque res circumſpiciat hujuſmodi, quarum multiplici accuratiſſimâque obſervatione, ſi ſapientiæ ſtudium acceſſerit, Medicus ὁμολογούμενῳ ab agyrtâ nulli muſæ dedito, facillima tantùm, nec plus quàm vulgaria conſiderante diſcernitur, & unde medendi via vere δογματικὴ planiſſima tutiſſimaque deducitur.

Ergo ſola rerum ſenſibus ſubjectarum æſtimatio utilis Medicinæ.

BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus Maillard.
M. Joannes Poiſſon.
M. Joannes Claudius Delarbre.
M. Jacobus des Prez.
M. Renatus Chauvel.
M. Petrus Paulus Guyart.
M. Joannes Baptiſta Moreau, Sereniſſimæ Delphinæ, primarius Medicus & Regius Profeſſor.
M. Joannes Hamon.
M. Petrus de Merſenne.

Proponebat Pariſiis JOANNES MICHAEL GARBE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.